



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Angelos in primo instanti potuisse peccare, quidam affirmant, alij negant.
c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

dilectionem suadere conabatur, subiungit: *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* Vbi opponit hoc quod est, esse ex maligno huic quod est esse ex Deo, & ita perinde est apud Ioannem, esse ex maligno, quod dixit capite illo tertio suae primae Canonicae, atque esse ex diabolo patre, sicut dixerat in Euangelio c. 8. alludens nempe ad idem factum, quo Cain inasione diaboli occidit fratrem, ut ideo diabolus dicatur homicida ab initio. Eodem modo Augustinus in lib. de Ciuitate, cap. 13. explicat illud Ioannis eodem cap. 13. ab initio diabolus peccat, ut particula, *ab initio*, idem significet quod, circa initium mundi, aut suae conditionis.

Profertur deinde recentiores Theologi, an damnationem sententiae Eugubini, Ecclesiae definitionem in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & referunt in capite Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi dicitur: *Diabolus enim, & alij demones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Ex hoc tamen loco non potest tam aperte notari opinio Eugubini. Nam Concilium ibi definit demones natura sua creatos esse bonos, ut contra Manichaeum ostendat, Angelos non esse natura malos, sed voluntate sua malos effectos fuisse. An vero prius tempore fuerint boni, quam peccauerint, non explicat Concilium.

Quare duo mihi videntur solum superesse testimonia, quibus sufficienter probatur veritas communis sententiae, & opinionem Eugubini non leui nota dignum esse conuincitur. Alterum testimonium est Scripturae, Iudae in sua Epist. vbi de malis Angelis dicitur: *Angeli vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, &c.* Quod si Angeli nunquam boni fuissent, sed semper mali, non dicerentur reliquisse domicilium, nempe innocentiae: quia nunquam illam habuissent: nec dicerentur seruasse suum principatum, quia nunquam in illo, sed semper ab initio in abiectione & vilissimo statu peccati fuissent: scio quidem nonnullos recentiores Scripturam interpretes per angelos intelligere principes, & reges terrae promissionis: sed prior interpretatio communis, & verior est.

Alterum testimonium est Concilij Bracharensis, r. Canone 7. qui est 6. Canon. Epist. 91. Leonis Magni contra Priscillianistas. In eo namque Concilio praedicta Epistola cum omnibus suis decretis recitata fuit, & totius Concilij consensu recepta, & sub anathematis maledictione confirmata. In eo igitur Canone ita definitur: *Si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei officium fuisse naturam eius, sed dicit, eum ex tenebris emerisse, neque aliquem sui habere authorem, sed ipsum esse principium, atque substantiam mali, sicut Manichaeus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Posset quidem aliquis dicere, in eo Canone non definiri, utrum angelus fuerit prius tempore bonus, & sine peccato, quam peccauerit, an non, quia in hoc non fuit Manichaeus, & Priscillianus vlla controversia: verum solum damnari eum, qui dixerit demones non esse Dei officium, sed ex tenebris emerisse. Nam de Leone hoc manifestum est, cum illam Epistolam solum contra Priscillianum scripserit. De Concilio vero Bracharensi, idem etiam colligitur ex proemio ipsius, vbi plane dicitur, mentem Concilij eam fuisse, ut errores Priscil-

liani, qui adhuc vigeant in Hispania, omnino eradicaret. Caterum nescio, qua ratione negari possit, in Concilio Bracharensi etiam definiri, aut tanquam verum supponi, angelos prius fuisse bonos, non tantum secundum naturam, sed etiam prius tempore absque vlla culpa fuisse. Quare non leui nota dignum fore existimo eum, qui cum Eugubino assereret, angelos peccasse in primo instanti suae creationis. Augustinus vero locis allegatis nequaquam sentit, Angelum in primo instanti peccasse, sed cum in illo lib. de Genesi ad litteram cap. 23. dixit, angelum non cecidisse ab eo, quod acceperat, sed ab eo, quod acciperet, denotauit angelum cecidisse ab statu beatitudinis, ad quem peruenerat, si Deo obedire voluisset. Vtrum autem ex statu gratiae ceciderit, an parae naturae, in quo ante peccatum fuerit, non tractat ibi Augustinus. Quod vero dixit in illo lib. de Ciuitate, cap. 13. non sentire cum Manichaeo, qui dicit, angelum in primo instanti suae creationis peccasse, fateamur quidem, ut supra etiam & nos ostendimus: ob id tamen ab omni alia nota liber non esset, qui id affirmaret: praesertim post Concilij Bracharensis, & Leonis definitionem.

CAPVT II.

Angeli in primo instanti potuisse peccare, quidam affirmant, alij negant.

Theologi superiori capite allegati, qui communi consensu contra Eugubinum docent, angelos in primo instanti suae creationis non peccasse, citra controuersiam propositam, an saltem peccare potuerint, non eodem modo Philosophantur, sed in oppositas sententias diuisi sunt. Quidam eorum affirmant, non potuisse angelos peccare in primo instanti. Ita seculerunt Hugo de S. Victore in summa sententiarum tit. 2. cap. 2. Alexander in 2. parte quest. 29. m. l. art. 7. in corpore, & solutione S. Thomae. Caietan. & recentiores Theologi in hoc art. & fufius idem Sanctus Doctor quest. 16. de malo art. 4. Albertus in 2. distinct. 3. art. 14. ad 2. Bonavent. Albertus in 2. parte distinct. art. 1. quest. 2. ad 3. Ricardus art. 2. qu. 2. Bonavent. Durand distinct. 5. quest. 2. Hervaeus quest. 2. Capreol distinct. 4. quest. 1. art. 1. conclus. 4. & art. 2. in solutione argumenti contra 4. conclus. Thomae de Argenti in 2. distinct. 6. Argent. quest. 1. art. 2. Henricus quodlib. 8. quest. 10. Holcot in 2. Henric. quest. 3. ad 9. Ferrar. 3. contra gentes cap. 109. Sed Holcot, circa praedicta. Qui sane quamuis in eadem omnino conclusionem, quam diximus, conueniant, quia tamen diuersis rationibus in eandem adducti sunt, ut defenderent, impossibile fuisse Angelo peccare in primo instanti ideo in eadem omnino sententia eos non esse existimo. Varia autem ipsorum fundamenta capite seq. asseremus, & sigillatim examinabimus.

Alij vero dixerunt, non minus potuisse angelum in primo instanti suae creationis peccare, quam insequentibus. Ita tradiderunt Scotus in 2. distinct. 5. quest. 2. §. Respondeo primo, & seqq. Et in 3. distinct. 18. quest. 1. ad 4. Gregorius in 2. eadem distinct. 5. Gregorius quest. 1. art. 2. Bassoli quest. 1. art. 2. Maior quest. 3. conclus. 2. Gabriel in 2. distinct. 4. quest. 1. art. 3. dubio 1. Maior, fil in 1. quest. 3. art. 2. in conclusione responsali. Quorum sententia ita intelligenda est, ut angelus in primo instanti suae creationis non tantum potuerit elicere actionem cum defectu, sed etiam quae impetaretur ad culpam. Hoc adnotauit propter Aureolam.

reolam, qui, vt refert Thom. de Argent. loco citato docuit, potuisse angelum habere actionem cum defectu, sed non actionem quæ imputaretur ad culpam, quæ duo secum non cohærent; vt refert ipse Thomas notauit. Hæc sententia hoc vni-
 10. co fundamēto nititur. Angelus in alijs omnibus instantibus, præter primum, potuit peccare: ergo & in primo: nam in primo instanti nihil habuit, quod in reliquis non haberet, & contra: ergo si in alijs expeditam habuit potentiam ad peccandum, expeditam etiam habuit in primo. Porro autem nihil habuisse in alijs instantibus, quod in primo non habuerit, vt posset peccare, in dictione constabit seq. cap.

CAPVT III.

Iudicium de vtraque sententia.

Quanquam autoritas Doctorum qui priorem sententiam sequuti sunt, magni apud omnes esse debet: fateor tamen ingenue, eorum rationes, quibus monstrare conantur, non potuisse angelum in primo instanti peccare, non esse adeo efficaces, vt aduersarios manifeste conuincant: quinimo aliquæ earum adeo friuolæ sunt, vt iamdiu ab Schola fuerint explosæ, sicut in hoc cap. sigillatim monstrabimus.

1. Ratio. Prima ratio, qua quidam visus est Alexander, est huiusmodi: in eodem instanti, in quo res est producta, non potest operari vlllo genere operationis, sed prius duratione debet esse terminata productio rei, quam sit operatio illius, eo quod duæ operationes, (quales sunt generatio rei, & operatio ipsius) quarum vna aliam consequitur, non possunt esse simul; ergo angeli creatio prius duratione debuit esse terminata ad esse ipsius angeli, quam angelus operaretur. Cumque peccatum consistat in operatione, vt in omissione debita operationis: consequitur angelum non potuisse in primo instanti peccare, cum in eo operari nequiuisset.

11. Hanc rationem merito rejicit S. Thom. quamuis cum Alexandro in conclusione conueniat, nam manifeste Philosophiz aduersatur. Quis enim negauit, in eodem instanti, quo creatum fuit corpus luminosum, ætrem illuminasse? Ratio vero Alexandri de operationibus, quarum vna aliam consequitur, solum locum habet in motibus successiuis, quorum vnus est causa alterius, vt motus secundum locum est causa calefactionis: at vero vna actio, quæ est in instanti, bene potest esse simul duratione cum alia actione, quæ ordine solum causæ ipsam consequatur: vt productio luminosi cum illuminatione, quæ à luminoso procedit. Ratio vero discriminis est; quia productio rei, quæ fit in instanti, est cum re ipsa producta: res autem producta, hoc ipso quod est, operari potest: at motus successiuus, ex quo tanquam ex causa oritur alius motus vt plurimum præcedere debet, quia in his motibus vt forma & terminus productus per vnum, sit causa alterius sequentis, debet ad certum gradum prius peruenire, ad quem in instanti pertingere non potest: ideoque necesse est, tempus aliquod intercedat, donec ex priori motu sequatur posterior. Dixi autem, vt plurimum, quia aliquando etiam simul est duplex motus successiuus, quorum vnus ex altero vt ex causa ortum habet: nam productio soni nascitur

ARTIC. V.

ex verberatione aëris, quæ fit per motum secundum locum: nullum autem tempus est verberationis, seu motus secundum locum, in quo non sit motus ad sonum, & contra.

Secunda ratio sit Hugonis, quam amplexus est Holcot locis allegatis in hunc modum: ad peccandum requiritur libertas; sed in primo instanti angelus non potuit habere libertatem in operando: ergo in primo instanti non potuit angelus peccare. Porro autem in primo instanti non potuisse esse libertatem, ex eo probant, quia libertas solum est respectu futuri, vt futurum est, nam circa præsens non potest esse, sicut etiam sentit Magister in 2. diffinit. 25. cap. 2. & ipse Hugo ante doctorem cunctat lib. 1. de Sacramento parte 5. cap. 12. Quare sententia horum Doctorum, vt voluntas libere operetur, debet prius duratione esse, quam operetur, vt ita in priori duratione sit indifferens & liber ad futuram operationem.

Hæc tamen ratio falso nititur fundamēto, & a tota iam Schola refutatur, vt late ostenditur in disput. 68. cap. 7. nam, vt voluntas libera sit, non est, si prius natura ex se considerata indifferens sit, vt hoc, & alio modo operari possit: effectus enim prius secundum durationem, nihil omnino refert: posset igitur Angelus in primo instanti suæ creationis libere operari: quia ex se voluntas eius indifferens est, vt hoc, aut contrariis modo operetur.

Tertia ratio Alberti Bonauent. & Henrici, quæ parum à præcedenti differt, talis est; ad rationem peccati requiritur libertas, hæc autem esse non potest in operatione, nisi præcedat deliberatio, rursus deliberatio sine tempore esse nequit: ergo Angelus in solo primo instanti suæ creationis peccare non potuit, sicut etiam neque deliberare. Addit Henricus, si fieri posset deliberatio instanti sufficiens ad libertatem, posset etiam angelus in instanti peccare. Idemque asserere debent, quotquot hac ratione adducti sunt, vt priorem opinionem tuerentur.

Hæc tamen ratio friuola est; nam quamvis nobis, qui per discursum tantum intelligimus, quæritur tempus, vt consulamus de medijs, facta collatione inter ipsa: tamen in angelis non videtur tempus necessarium etiam ad electionem mediorum, cum sine discursu intelligant, & multa inter se conferant, vt supra disput. 2. u. dictum est. Adde, quod peccatum non postulat necessarium consultationem, & electionem mediorum inter se; quia contingere potest peccatum in ipsa voluntate finis, vt in voluntate delectabilis & commodi, quod habet rationem finis, & appetibilis propter se, vt autem libere feratur voluntas in commodum, aut delectabile, solum requiritur propositio obiecti cum indifferentia: hæc autem in eo posita est, vt intellectus attendat non solum rationem delectabilis & commodi, quo allicitur voluntas, sed etiam rationem malitiæ & peccati, quod in prosecutione illius esse potest, vt 2. q. 74. art. 6. & 7. notabimus.

Quarta ratio Ricardi loco citato, & Capreoli in illo artic. 3. citato in solationibus argumentorum contra 4. conclusionem, & artic. 1. in probatione eiusdem 4. conclusionis, ita se habet: naturalis voluntas debet præcedere deliberationem: naturalis autem, peccati capax non est: ergo prima operatio non potuit in angelo esse peccatum: ratio